

B. 61.

IACOBVS CAROLVS SPENER
 I. V. D. ET PH. P. P. ORDIN.

CIVIBVS
ACADEMIAE
FRIDERICIANAE

S. P. D.
 & de
PUBLICIS SVIS

S. R. IMPERII HISTORIAM
 priuatisque aliis
HIBERNO SEMESTRI
 habendis lectionibus
 differit.



Estiu me hoc, quod nunc feliciter egimus, semestri
adeo multa variaque inopinato distractore negotia,
ut quicquid promissa seruare, mandatamque rite
colere prouinciam laborarem, non id tamen mihi,
licet ægerrime pretiosi temporis ferenti iacturam,
vlla huc usque licuerit ratione. Evidem ego tot
tamenque iustis, quibus fuerim impeditus; allegaturus essem causas, ni
ficirem eas vulgo notas, neminemque crederem tam mihi male cu-
pere, ut eas improbatas, meque reum neglegendi temere mei officii se-
rio velleret actum. Quicquid tamen existimat, me nunc æquam la-
tæ, leuis siue leuissimæ, si omnino aliquam longa absentia admisisse
possem argui, culpe veriam ab omnibus facile impetraturum, hoc
mihi saltem ampliorem non dare occasionem, agendi in posterum
remissius, aut vel minimas derelinquiendi, quarum Deo, Clementis-
simi meo Regi & publico rationem debo, muneris mei partes. Id
potius nunc maxima agam opera atque indefessa solertia, ut norint
omnes, ii imprimis, quibusimæ dicata sunt studio studia, nihil mihi anti-
quius sed curisque semper futurum, quam ut in posterum boni dili-
gentisque doctoris omnes explore possim curas, nec vñquam iuste
habeam metuendas eorum censuras quorum iniquas sententias
nunc iustissime sum deprecatus.

Cogitantem me vero atque animo voluentem, quo præcipue
argumento publice exposito meam probare voluntatem, & auditio-
rum mereri benevolentiam valerem, opportune superioris æstatis
Academicorum laborum index monuit publicus. Nempe in eo
SACRI NOSTRI IMPERII HISTORIAM cupidis elegantissi-
mi illius studii nostris ciuibus publice explicare promiseram: quod
ne mutem, licet distulerim institutum, variae mihi nunc suasere ra-
tiones, & denique communis iste fauor, quem illud mihi decernen-
ti plurimi coram sunt testati, haud grauatim a me impetravit.

Cui

obom Cui itaque proposito summum Numen clementissime annuat,
 hibernis mensibus vobis, honoratissimi nostri Cives, quorum inter-
 erit patriam accurate nosse historiam, eam qua potero cura atque
 diligentia quatuor per singulas hebdomadas horis publice in Audi-
 torio publico interpretabor. Hic si placet p̄eclarissima mecum
 spectate diuinæ prouidentiæ vestigia, bellissimas quippe, quas un-
 quam aliquod regnum aut publicares sustinuit, vicissitudines. ubi
 charam Germaniam nostram priscis suis moribus vicinarum gentium
 leges sapientissimas non imitantem sed iis excellentem inter ipsas
 antiquitatis umbras cernite. Ea tamen inulta desertaque ter-
 ra, virtute etiam incole vix quam ethnicis cognita vtebantur, vsque
 dum Carolus Magnus patriam suam supremo conciliaret Numini,
 supremaque inter omnes gentes gloria redderet eminentem. Ca-
 rolingæ stirpis interitus alios Principes, ad summum fastigium ma-
 iestatis Germanis assertum, rite vocatos vobis monstrabit. Tum
 vero durioris regiminis mutationem, iis quibus prouinciae regendæ
 concessæ erant agentibus, paullatim irrepentem, libertatis assueræ
 gentis Imperatores aut non sensere, aut noluere continere. Id e-
 quidem quam male aut prudenter admiserint, nondum satis est in
 comperto, nec disputando facile euiceritis. Sed neminem nostrum
 non pudebit memorare Cæsarum aliquot sequentium fœdum tur-
 pemque patientiam, qua ad maiestatem summam grassantis Sacerdo-
 tii fraudes artesque iuuarunt, & tentata occupatamque misere ro-
 lerarunt tyrannidem. Verum hanc fata decretis levidentur liber-
 tatis alioquin tenacissima genti pecnam, vt cum Cæsarum quorundam
 temere criminaretur consilia, & non nocitaram extimelceret
 potentiam, se lubens submitteret iugo durissimo tyranni, qui certæ
 auxilio simulando per cladem Germanie imperium totius orbis de-
 dum adortus est. Dignum profecto nec nostro obliuiscendum se-
 culo exemplum, quam pietatis p̄ætextus & sanctimonie mun-
 do illudere omni aptus sit! Ne copiosi simus, nostram considerate
 Germaniam, nunc vicinis exterisque prædam, nunc in sua ipsam fu-
 rentem viscera, nunc sub suis Imperatoribus magnificis triumphato-
 ribus regnorum vicinorum dominam, hostiunque rebellium victri-
 cem omnium. Proxime etiam licet letis vobis inspicere, vt an-
 tiquam libertatem patria nostra contra tyrannidem archi-facer-
 totis Romani afferuit, eamque strenue ab iis, qui aduersa machinaban-
 tur, seruauit illæsam, & si Deo placuerit, æternum contra omnes ho-
 stes

Q: 2 039.280 iii ****

Ates tutam praestabit & incolorem. Non autem externa modo
 haec patris nostrae fata ego enumerando, vos percipiendo, erimus
 folliciti. Indagabis, etiam communis mecum studio in interiora
 nostri imperii, hoc est, totam nostrae rei publicae constitutionem e-
 iusque ordinatae prerogatiua & origines pariter explorabis. Ha-
 bet, ut nunc innumera memoranda alia mittam, nostrum imperium
 libertatis suae hoc ab initio ferme imperii praecipuum indicium &
 monumentum, ut Monarchs audiat suos cum Valentiniiano &
 Theodosio, * dignam maiestate regnantis vocem, asserentes, legibus
 allegatum se principem, imo proprium Imperatoris, profiteri, esse
 legibus viuere: & quod Paulus scripsit, ** conuenire tanta maiesta-
 ti, eas seruare leges, quibus ipsa soluta esse videatur. In nullo iti-
 dem imperio aut regno tot augustos videritis principes, quorum o-
 mnis eo tendit cura, ut ex Caroli IV. oraculo *** concordi voluntate
 sua decor & gloria Sacrosandi Romani imperii, & honor Cæsareus,
 rei publicae grata compendia soueantur: ut velut columnæ proceres
 sacrum edificium circumspetæ prudentiae solerti pietate sustentent:
 ut que suo præsidio dextra imperialis potestate roboretur. Imperan-
 tes ibi reliquos non dedecere noscere communis non unquam boni
 caussi parere, & quid Symmachus ad Imperatorem ait, **** eos pe-
 nes plus semper valeat iustitia, quam licentia. Et quid nunc multis
 nostri imperii plura singularia edisseram? Tam distinctam in omnibus
 eius rationem, tamque a forma reliquorum leuinctam scitis, ut
 curate in eam inquirere non nostratis modum, verum omnibus
 politicis dudum occupatio suis digna vigiliis visa fuerit. Agite ergo
 nos hoc semestri tam digno ita laboremus studio, ut publice ego
 vobis tradendo historie iunctas patris nostri publici iuris origines,
 vos honora illimi auditores beneuolo, audioque dicta excipiendo
 animo, utrique percipiamus fructus labori nostro & diligentie de-
 bitos, & omnibus vniue exoptatos.

Sufficiat autem paucioribus mente meam de his, quas publi-
 co debedo, commentationibus exposuisse, cum maxime ad alios ad-
 huc labores, quos nunc pariter exponam, aliæ nec sciunctæ officii
 mei me vocent partes. Nempe publicis non solum sed & priuatissi-
 mandato munere me scio, adstrictum lectionibus, hisque æque ut
 illis omnibus curam atque affiditatem paratus impendere, utique
 fidem libet omnes in p[ro]p[ri]etate p[re]dictarum inveniunt.

* I. 4. C. de LL. *** I. 23. ff. de Leg. 3. conf. §. 8. I. qu. mod. t. fl. infirm. **** A.
 esf. B. t. 3. §. 1. ***** in orat. pro ret. Deorum cultu.

vos morari, & de novo argumēto aliquot adhuc ad vos, honoratissimi nostri ciues, verba de beo facere.

Cooperam ante aliquot menses lineamenta quædam præcipuum capitum, quæ historiam potiorum Europæ regnorum perfectam omnibusque suis partibus absolutam reddere posse mihi videbantur, in publicum edere. Amplius vero non processit meus stylus, quem & priuata iuui interpretatione, quam ad Lusatianæ, Hispaniæ, & huic monarchia annexorum regnorum prouinciarumque historiam explicandam & politicum breuiter tradendum statutum. Præter enim quod nimis diffusum theses & quæstiones has nactas esse argumentum, & tam accurate historiam omnem doceri cupientem multos annos oportere vni huic dicare studio cernerem, aliae etiam mihi institutum diffusare rationes. Sicis erat Hispaniæ monarchie, de qua nunc belli alia decertatur, antiqua præsentique detecta facio, specimen, quod & forsan ob huius argumenti hoc tempore prærogatiuum publicis posthac exponam lectionibus, edidisse, ut omnis regni publicæque rei historia possit accuratissime per capita distribui & illustrari. Fecit deinde ille post ipsi fata illustris Pufendorffius, ut frustra nunc faciliorē querere mihi viderer methodum docendi Europæorum regnorum in acadeiniis nostris prisca fatigante recentiora. Quod ergo præter ea, quæ memoravi, temporis etiam admodum æstimandi aliquod polliceri scenus poterat, non difficuler mihi imperavit, commodiori elaborati continuacione argumenti referuare temporis, & si quos in praesentia historicæ haberem cupidiores artis, istis Pufendorfium commendare auctorem, & quem sequentur fidum ducem. Sic itaque non recenti modo consilio, sed quod & ex promissis ante sex hos menses in scheda priuatim datis, & in indice lectionum publice repetitis teneor, vobis iam **PRIVATAS IN ILLUSTRIS PUFENDORFII INTRODUCTIONEM HISTORICAM SCHOLAS** aperio per integros hos hibernos menses, singulis diebus, horaque ab honoratissimis auditoribus eligenda, continuandas.

Verum millies acta aucturus essem, si historicæ iustissimis prædicandis laudibus iam forem præter necessitatem longus & copiosus. Nihil igitur quam quod iis, quorum forsan interesse videbitur historias non ignorasse, a me dictarum prelectionum causâ volente moneri, breuiter indicabo. Quibus Pufendorffii elegantissimus labor vel altero fuit visu oculo; omnes perspicuitati veritatem exactissimam

& breuitatem iunctam non indecoram quam maxime sunt admirati.
 De fide Pufendorfii, nam de reliquis omnis sibi testis lector est, set amplam excellentissimum D. L V DW I G, Honoratissimus noster Collega publico fecit fidem, omnibusque quam maximum continuati tam præclarri commentarii dedit desiderium. Proinde nos de illa nihil sollicitis sic optimo vtemur fruemur auctore, ut per capitâ non forte disposita materiis explicatu dignis, sed vix monstratis digito, nostra in hæreamus oratione, difficiliora explicemus, eruamus obscura, & quam poterimus clarissimam vnicuique materiæ appendamus lucem. Iuuabit in primis sedulo primum, quod historiæ vniuersalis quoddam tradit sceleton, considerare membrum. Iste, quod etiam fiet in reliquis, non scrupulosam sed iustam & sufficientem de præcipuis historiæ cuiusque auctoribus præmittam disquisitionem. A pertis dein, certe monstrans, fontibus, ita, vt auditores possint auctorem sequi, aut si velint sine eo ei tamen affuecere, plano claroque historias exponam omnes sermonem, a diueticulis cauebo, mittam incerta & fabulosa, & vt scitu digniora a minus distinguantur necessariis, vnicce dabo operam. En rationem modumque quo historias, præstantissimam vtique & maxime hoc seculo æstimata scientiam, vos, quibus commodum erit, honoratissimi ciues nostri, mecum proximis tractabitis mensibus.

Properat meus ad finem stylus, & quæ sunt reliqua indicenda collegia, per pauculis se expediet. In academiâ, quod omnes vos, honoratissimi ciues, fatemini, expoliendæ proficisci imini mentis causa, nec vilus, quisquis sit quodue vitæ elegerit genus, hoc se negabit ibi velle, vt virtutibus scientiisque ornator inde domum redeat. Quid autem quæsto instituto minus seruit, quam vix limine inclytæ nostræ salutato schole ad eas statim confessimque illotis manibus festinasse doctrinas, quæ non quam præparatis tradendæ sunt ingeniis, quas vero pessimo posteris exemplo nostri hodie homines vnicce quæstus lucrique faciendi causa non hætrunt in academiis, sed vix leuiter degustatas friuole reportant domum? Ut taceam reliquos, quid magis consuetum, quam vt LL. Studiosi vix institutionum audita explicatione, nedum moralis doctrinæ aut juris naturæ solutatis adycis, ad forensis dicendi generis currant aut volent potius præceptores. Viderint modo isti primum institutionum titulum, primâque in Digestis legem evoluerint, posteaque an illa via ad iustitiae, quod decet, rite ascendatur sacerdotium iudicarint. Quam longe

longe alia Imperatoris tradente Triboniano, & Vlpiani in illa legi
fit tententia, non putem villa egerē demonstrationē. Prisci iuris
consulti ipsi erant philosophi, nec facile, quod illi ex lege * debent
sacris desvacare, temploque eius ministrare posse alii censebantur,
quam qui artem boni & æqui ex philosophia probe essent edicti.
Non immerito itaque vtrique culpandi, qui omisis philosophicis
doctrinis ad leges audiendas aut properant, aut aduolantes temere
admittunt. Evidēt non desunt in nostra academia grauissimi
celeberrimi que viri, qui id sepe monentes, quantum possunt suæ com-
mendatos fidei ad suas aliorumque philosophicas mittunt scholas: ut
certe ideo non mouear publice id denuo inculcare, aut, ac si deside-
rarentur aliæ, meas quasi defectum suppleturas aperiri lectiones.
Tamen non quod lex ** dicit nocent superflua, maxime vbi contra-
riæ & perniciose opinioni dignis inedendum est argumentis: & vbi
plura philosophica simul patent subsellia, sepe iis placent, quibus a-
lioquin vel nuda philosophicarum scientiarum ignorata mansissent
nomina.

Præfatis iis, quæ quod dixi vix hodie satis hortamur, institutum
meum non multa egebit expositione. Diu vobis celeberrimi D.
BVDEI, Preceptoris olim mei venerandi, institutiones philosophicæ
non placuerunt solum, sed & maxime sunt probatae. Harum
elogia scribant alii, ego, quod commentationi priuatæ eas cerno ap-
prime commodas, non possum non eorum subscribere votis, qui eas
integras saepius apud nos pertractatas cupiunt. Quo itaque ipse ce-
leberrimus auctor vti consuevit ordine, ego totius laudati operis
meditatus interpretationem, hoc semestri vna INSTITUTIO-
NVM TOMVM PRIMVM INSTRUMENTALEM
nimirum, & altera hora MORALEM PHILOSOPHIAM
INSTITUTIONVM VOLVMINIS TERTII PRI-
OREM explicabo PARTEM. De methodo supereft quod di-
cam nihil, cum eam autor ipse facillimam monstrarit, & quam com-
mentando & illustrando sequar optimam. Hoc autem cum putem
auditoribus gratum non solum sed & fore utilissimum, vt disputan-
do priuatim in fuos inquirant ipsi profectus, & quid solide didice-
rint exquirant, in eo præcipue commodis eorum lubens seruiam. Sa-
turni que die, quo nullas alias ex more habeo lectiones, DISPUTA-
TORIVM, quod aiunt, COLLEGIVM priuatim instituam, quo
the-

* Auth. Habita. L. ne filius pro patre. ** L. 17. C. de testam.

(5)

theses ex varia de promtas philosophia iis, quibus gratum erit, defen-
dendas, aut argumentis contrariis proponemus oppugnandas, deque
iis collatis sententiis pro temporis ratione copiosius disceptabimus.

Longiorem quam in itinere adhuc hærens proposueram epistolam ad vos, honoratissimi Ciues nostri, de meis scriptam lectiōnibus, pia nunc deuotaque pro inclytæ nostræ academizæ vestraque concepta salute claudant vota. Aëternum faxit Numen, cui, quas laudes & gratias debeamus exhibere, nec mens nostra concipere, nec, ex lege verissima^{*} lingua proferre potest, vt alma Fridericiana sub munificentissimi sui nutritoris, SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS, clementissimi nostri domini, cuius, si vitam ex precibus nostris Deus concederet, æterno omnes frueremur regimine, alis & umbra noua indies capiat incrementa, perpetuo floreat, & mundo quam plurimos adhuc rerum publicarum ministros, antistites, patres, imo columnæ largiantur, praesidia & ornamenta. Ceterum nobis conferuet Deus tranquillitatem music charam debitamque, bene studiis docentium discentiumque dicat, & vt multa binis complectar verbis, nobis omnibus optimos curarum, laborum, vigiliarumque clementissime concedat fructus. P.P. Id. SEPTEMBR. c^{lo} l^o ccxi.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typog.

Af 364 ^a

(1)

ULB Halle

001 602 721

3



56,

Br. L.



28

IACOBVS CAROLVS SPENER.
I. V. D. ET PH. P. P. ORDIN.

CIVIBVS
ACADEMIAE
FRIDERICIANAE
S. P. D.
PVBLICIS SVIS
in
S. R. IMPERII HISTORIAM
priuatisque aliis
HIBERNO SEMESTRI
habendis lectionibus
differit.